

185* blicam christianam per has suas insanas dominandi et omnia iniuste occupandi cupiditates, in summum aliquod discrimen adducat. Quod si contingeret, protestati sumus coram vestra Illustrissima Dominatione et aliis principibus christianis, protestamur etiam, nunc nos nullius mali causam praeuisse paratos fuisse etiam ad minus aequas condiciones cum eo ineundas, dummodo ne respublica christiana et hoc miserum et lacerum regnum detrimentum maius aliquod pateretur. Scimus etiam vestram Illustrissimam Dominationem ab eodem hoste pati a quo nos haec patimur. Nam is cum fratre Carolo unum et idem est, et hii duo fratres in republica christiana perdenda egregie consentiunt; turbari scimus libertatem Italiae horum impiis armis iam pridem oppressam iacuisse, quam nunc primum erigi et caput exerere summa cum animi nostri laetitia intelligimus. Rogamus vestram Illustrissimam Dominationem, sicut etiam alios principes confederatos rogatos habuimus velit, nobis praesentaneo subsidio esse contra communes inimicos. Quantum vero intersit vestram et istius sanctissimae ac potentissimae confederationis Ferdinandum distineri ne possit, ut solet, fratri Italiam opprimenti suppetias ferre id vestrae Illustrissimae Dominationi reliquimus iudicandum. Nobis non desunt nec deerunt alii etiam amici potentes extra Italiam qui nobiscum septientes magnum sint negotium Ferdinando exhibitura, qua de re non dubitamus vestram Dominationem Illustrissimam non nihil et unde etiam sint exorta iam fortasse subodorasse. Hungari autem nostri quicquid Ferdinandus de hiis predicet, non sunt nobis defuturi, demptis fortasse quibusdam sed paucis quos conscios magnitudinis sceleris ac perfidiae, non est dubium de venia desperare. Nec hoc moveat vestram Illustrissimam Dominationem quod nunc hic in finibus regni Poloniae sumus. Non sumus hic quod non habeamus magnam regni partem in potestate nostra libere et absque impedimento adversari, quodquod nobis esse ibi non liceret; sed hinc etiam paramus maiores vires, quas illis viribus quas in Hungaria habemus adiungere possimus in summa. Dummodo a vestra Illustrissima Dominatione et ab aliis principibus confederatis non deseramur, non est dubium quin Ferdinandus ita possit undique a nobis et ab amicis nostris urgeri et opprimi, ut magis sit ei de patrimonii avitis retinendis, videlicet de Italiae oppressione cogitandum. Rogamus igitur vestram Illustrissimam Dominationem ut haec diligenter considerare velit, et nobis, sui etiam commodi causa, una cum aliis principibus

confederatis celeri et praesentaneo auxilio adesse. Inter alia, vestrae Illustrissimae Dominationis constare putamus, quod, dum iste gloriosus religionis christianae defensor iacet et iure iurando Hungaris nostris promittit non prius se coronam Hungariae capiti suo impositurum quam Belgradum et alia superioribus annis amissa loca recuperet, Jayzam etiam arcem nobilissimam caput regni Bosniae unicum Croatiae, Slavoniae et Hungariae inferioris propugnaculum, dum in iniuriam nostram capitaneos priores immutat, turpiter amisit. Nos, quidquid ad bonam et summam amicitiam cum vestra Illustrissima Dominatione servandam, instar aliorum Hungariae regum qui isti clarissimae Reipublicae fuerunt unquam omnium amicissimi, faciendum nobis erit nihil praetermittere, quod et praesentibus testatum esse volumus, de hiis quae per praefatum oratorem nostrum antea. Quibus de rebus omnibus et de praesenti rerum nostrarum statu scribimus uberius ad eundem oratorem nostrum, cui in omnibus vestra Illustrissima Dominatio credere velit, quam optime valere cupimus simul cum omnibus suis clarissimis senatoribus, et eidem negocia nostra unice commendamus. 186

Datum Tharnovoio in finibus regni Poloniae, vigesima secunda die mensis Maii, anno Domini millesimo quingentesimo (vigesimo) octavo regnorum vero nostrorum praedictorum, anno secundo.

JOHANNES REX
manu propria.

A tergo: Illustrissimo principi domino Andreae Gritti duci Venetiarum, amico et vicino nostro carissimo.

Recepta 12 mensis Julii.

Capitula quaedam litterarum Serenissimi regis Hungariae Johannis ad oratorem suum Venetiis existentem scriptarum. 187)

Quod ad negotia nostra attinet, scribimus satis diffuse ad Illustrissimum Dominum, quarum litterarum copiam his inclusam vobis mittimus, ex quibus magnam partem rerum nostrarum intelligetis. Hortamur vos, date omnem operam pro hiis impetrandis ab Illustrissimo Dominio pro quibus scribimus; ponatis eis ante oculos id quod re vera ita se